Vitellii Jacobi: Panegyricus D. Petro Gembicki, Episc. Crac. dedicatus.

PANEGYRICVS

Illustrissimo & Reuerendissimo Dño,

D. PETRO GEMBICKI,

EPISCOPO CRAC: DVCI SEVERIÆ.

In Primo, & Auspicato

AD

EPISCOPATVM CRAC: ADVENTV,

A

M. JACOBO VITELLIO,
S.T. in Alma Academia Crac: Professore,
Ecclesiæ S. FLORIANI *Canonico,*

DEDICATVS.

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S.R.M. Typogr.
Anno Domini, 1643.



IN FASCIAM.

Præsuleo pulchrè quæ Fascia splendet honore
Seque perenniter, hic, circinat orbe suo.
Promerita in Patriam, atq; fidem, , quasi colligat vno
In fasce, atq; simul nectit vtrumque decus.

ETſi vereor, ne turpe ſit ad Tuorum, Illuſtriſsime D. in Repub. & Eccleſia meritorum magnitudinem, parem non poſſe afferri dicēdi autoritatem: minimèq; deceat, tam ſplendidæ in Tuo aduentu celebritati, longè inferiorem eſſe eloquentiæ apparatum: tamen in hoc communi gratulātium Tibi plauſu, atque florentiſsimo Nobiliſsimorum Ordinum, & totius Cleri comitatu culpam potiùs ingenij præſtat accuſari, quàm officium vllum hac in parte à quopiam deſiderari. Hæc enim Tua dignitas eſt, amplitudinem Tuam & gloriam, ſuis non alienis velle ſplēdeſcere coloribus, non tam ornari verbis, quàm illuſtrari factis, ipſam veritatem malle, quàm lenocinia aurium fu-

cata. Felicitatis idcirco Tuæ eſt, & virtutis promeritæ, sicut in Præſulea dignitate omnib9 alijs ſublimiorem eſſe: ita etiam quâlibet dicendi facultate maiorem. Præſertim cùm ſint quædam, ita ad cognitionem cuiuſq; admiranda, ad ſenſum illuſtria, quæ vbi fulgore ſuo perſtringunt oculos, etiam aciem anteuertant mentis, vt modeſto ſilentio potiùs, & verecundâ ſanctiora videantur taciturnitate. Non igitur cuiquam impingenda ingenij culpa, ſi cogitatione dignitatem Tuorũ non poterit conſequi meritorũ, cùm omnes honorum, & munerum publicorum, ita glorioſè confeceris gradus, vt eloquentia, multitudine, & varietate rerum à Te pro Publico Bono geſtarũ ſuperata: elinguis aliquo modo videatur. Itaque officioſæ iſtius magis, quàm audacis in Te, Illuſtriſsime Dñe, ſubmiſſe venerando dictionis: non tam acrior cenſor, quàm benignus Patronus eris; dum, non quod Tibi, pro tanta Amplitudine, debeatur: quàm quid facultas noſtra ferat expendas. Quid namque in dicendo ita eſt illuſtre

& amplum, quod non exiguum videatur, si amplius quid, & longè dici posit illustrius? Quid uerò illustrius dici potest, quàm Tua præclarisima in Rempub. promerita, non ex verbis æstimationem, sed ex communi bono, pondus & autoritatē habere? Et quoniâm Diuinâ bonitate huius Amplisimæ in Regno Diæcesis, Dominium & suprema ad Te potestas delata est: etiam in hac Præsuleæ dignitatis ad vrbem Principem aditu, nemini Tui fauoris promerendi, & gratiæ ambiēdæ ocacsio, tam frequentibus sublata gratulationibus: illis præsertim, qui Tuæ in se mirificæ testes esse possunt voluntatis. Cùm itáque plurimi in Tuis attollendis in Patriam & Ecclesiam promeritis insudabunt: ego Tuā, Illustrisime Dn̄e, in Repub. Prudentiam & Magnanimitatem, in Ecclesia Religionem & Sapientiam submissè venerabor. Atq; ita moderabor dictioni meæ, vt inter simulatam assentationem, & veram laudationem, multùm interesse quilibet agnoscat. Cùm neque Tu, vt Prudentisimus Præsul, fucatam ad-

mittas ſimulationem, neq́ue cuiquam conueniens ſit, dictionis non veritate, ſed vanitate, Tuam adiri dignitatem.

Principes viros, & populorum iuxta Diuinum Homerũ paſtores, à Deo, non ſolùm dari, ſed etiam ſingulari quâdam curâ, & cæleſti benignitate nutriri prudens cenſuit antiquitas. Sed neq́ue ſolùm, diuinæ nutricationis, illis præſtari gratiam: verùmetiam, à primo naſcendi initio, per bonam indolem & naturam, ante alios laudabilem, inſtillari quasdam virtutum inchoationes & ſemina, quibus ad communem vtilitatem maturiſsimè adoleſcant. Id quidem non ſine magna ratione, ita oportere fieri arbitrati ſunt; Quod enim futurum eſt cum ætate magnum, ſicut in magnã molem operi profecturo, non parua ſubſtruenda fundamenta. Tam benigna in Te, Illuſtriſsime Dñe, & auſpicata, à prima ſtatim ætate eluxit indoles, quæ non modica magnarum in Te per ætatis gradus, daret indicia profectionum. Themiſtoclem ferunt puerum etiam grauis cuiusdam animi, plenum

num fuiſſe: indole ſapientem, ſtudio ad res magnas propēſum: natumque ad Rempub. tractandam. Scipionem Cornelium necdum magno natu, eximiæ tamen indolis, & ſummæ virtutis Specimen prætuliſſe: & diſciplinis militaribus, ſub auſpicio patris, erudiri cæpiſſe. Tu verò, Illuſtriſsime Dñe, Heroicarum Tuarum virtutum, Prudentiæ & Magnanimitatis in Repub., Religionis & Sapientiæ in Eccleſia, à Deo Tibi inſita ſemina, ſtudio & exercitatione aluiſti: ſcientiarum optimarum diſciplinis per florentiſsima Italiæ gymnaſia, eruditione & literis celebres Academias, quęſitis propagâſti: ad ſummum verò faſtigium, & hanc in Eccleſia & Repub: dignitatem, exemplo & imitatione, Summi illius in Regno & Eccleſia Archiepiſcopi Gneſneñ, LAVRENTII GEMBICKI, Patrui Tui produxiſti Satis mihi vel in ipſo nomine dixiſſe videor, cùm Illuſtriſsimi LAVRENTII GEMBICKI memini, qui nullam Reip partem adijt, quam non animoſé ſuſtineret: nullam ſuſtinuit, quam non glorioſé illuſtraret:

nul-

nullam illuſtrauit, in qua plauſum & approbationem Ordinum non meruiſſet. Ille, ille Te, cùm eſſet omnium virtutum, quæ ad Ecclesiam & Rempub. pertinerent, abſoltiſsimum exemplar, ijsdem artibus & gloriâ, quibus ipſe ſublimem in modum floreret, voluit eſſe, etiam in teneriore ætate, ſuâ induſtriâ & curâ inſtitutum. Ad magna & præclara in publico obeunda negotia, ſuo Te voluit fingi arbitrio, formari exẽplo, duci feliciter perſuaſione. At verò Tui genij & ingenij fuit iſta bonitas, vt fingentis ſequereris induſtriã, & manum, in varias Te virtutum ducentẽ formas. Proinde ex eius ore, vt olim ille ex ſuo Phænice, didiciſti rationem vitæ formandæ, gubernandæ Reipub, dandorum & capiendorum de magnis rebus conſiliorum. Conceſsit ille fatis, ſed Tu gloriæ eius propagandæ ſucceſsiſti naturæ: exſoluit ille quod debuit: Sed Te ex aſſe ſuorum in Patriam & Eccleſiam meritorum, hæredẽ reliquit. Diuinitus prouiſum eſt, vt Princeps ille, perenni famâ ſemper viueret, qui non tantùm in

ſua

ſua familia infulis & Senatoria dignitate, præfulgente, ſed etiam in Repub. etiam in Eccleſia Metropolitana, non poſsit vnquam aboleri. Cùm ex Italiæ Academijs, eximio literarum, quæ ad Rempub. pertinerẽt, cultu expolitus reuertiſſes: primam ingenij & induſtriæ exercendæ palæſtram, Tibi Illuſtriſſ: Patruus oſtendit, poſtquam Aulæ addixit, & à Secretis Sereniſſ: Sigiſmundo III. commendauit; Oportebat hic quaſi in vigilia eſſe perpetua, cùm in Te & autoritatem commendantis, & prudentem tanti Regis ſenſum & voluntatem ſuſtineres. Quamobrem ſolicitè cauiſti, vt ab hoc primo gradu induſtriâ, fidelitate, atque aſsiduo Principis obſequio, aditum Tibi ad maiora in Repub. officia aperires.

Cùm aliquantiſper ab Aulæ negotijs datum eſſet otij: neceſsitas Iudiciorum Tribunalitiorum, non permiſit eſſe negotijs vacuũ. Deſignatus autoritate Capituli Crac: Iudex Tribunalitius, nihil niſi ex veteri iudiciorum diſciplina egiſti. Non modo cauſæ, ſed ne le-

gi quicquam laxamenti datum est, Religiosè semper hoc vnum spectabas, vt iudiciorum remedijs, rebus & fortunis Ecclesiarum lapsis, subueniretur. Ad subsellia illa iudiciaria nō ad auream messem, (quid enim loco illi indigniùs?) sed ad pauperum tuitionem Te venire sciebas. Vnde nemo Sacrorum Canonum, legum patriarum, atq; eius dignitatis, quæ in iudicio versari solent, peritior : cùm fidelissimè aduerteres; quæstu forensi, veritas & æquitas exacta, vt nè exularet.

Accidit postmodum, vt pro veteri in Sāctam Sedem fidelitate Illustrissimo Episcopo Wladislav: Patruo Tuo, tempus appeteret, inuisendi limina Apostolorum, exponēdæ rationis in munere Episcopali, profectus animarū, Religionis sanctæ amplificatæ. Te eo muneri præclarè obeundo, delegit Reuerendiss: qui scires, quonammodo & Præsulis tanti dignitatem, & Diœcesis autoritatem grauiter, & cū existimatione tuereris. Postquam ventum est ad Sanctam Sedem, exposuisti grauiter statum illius Ecclesiæ, & propaga-

pagationem in populo Religionis auitæ: recensuisti, quomodo Episcopus, quasi beneficus illius Diœcesis Pater, forma gregis factus esset; cura Pastorali, & exemplo populis pręiret: quod abundè doctrinâ, & temporaneâ munificentiâ, tenuiores, velut alter Ioseph, in magna necessitate vniuersam pasceret Ægyptum. Cui aliquando publica præconij voce acclamatum est, *Scipio necessitatis, pasce sufficienter.*

Atque istius Tui, Illustrissime D. muneris feliciter exacti, illud insigne documentũ esse potest, quòd Põtificis animum, non Ecclesiæ tantùm, cuius causâ veneras deuinxisti: sed etiã Tibi ita adiunxisti, vt ille Tuam prudentiam Sereniss: Regi Sigismundo luculẽtissimo testimonio commendaret. Hæc sunt prima virtutum Tuarum & progressionum in Repub. & Ecclesia fundamenta, grauissimo & Sanctissimo Pontificis iudicio, quasi Dei oraculo, feliciter iacta. Quam præclarè studia, causæ, partes, inter se contendere videbantur. Tu, Illustriss: D. Ecclesiam &

Regnum Sanctißimæ Sedi, atque Christi in terris Vicario, plausibili commendabas oratione: Ille verò Te Ecclesiæ & Regno, ita rursum commendabat, quasi ex illa Sanctißima & cælo proxima Specula, ex qua vniuersum moderatur orbẽ, Diuinâ præsagitione prouideret, Te in magnum præsidium, splendoremque, cùm Ecclesiæ, tùm Reip. futurum.

Cùm autem prosperè perfunctus esses, grauißimâ illâ pro Ecclesia ad Sanctam Sedem Legatione, & aliquod Romæ consisteres tempus, nunciatur interea Archiepiscopum Gnesneñ: designatum esse, & nominatum Illustriss: Patruum Tuum. Exhilarauit hic nuncius Beatiss: Patrem, Paulum V. cùm gratularetur Patriæ, Pastoris boni vigilantiam, ad sublimiorem Ecclesiæ, & Regni locũ ascendisse. Ex tunc Pallium Archiepiscopale, benedictionis suæ, & Archiepiscopalis autoritatis monimentum sacrum, Tibi deferẽdum commisit. Cui enim fidelius rem tantam, quàm Tibi Illustrißime Dñe, crederet? Cuius laudem non fucatam, & solidam dignita-

gnita-

gnitatem coram intuitus esset? vt in Te Patruum, quasi in teneriore flore, fructum maturissimum cernere videretur: atque ex Tuis Heroicis virtutibus, illius adultam perfectionem, metiretur. Accepisti officium deferendi Archiepiscopalis Pallii, arbitrio Pōtificis, quasi Dei voluntate Tibi impositum, Atque in eo cum dignitate & autoritate munere obeundo, non titubauit vnquam Tua indoles Heroica, sed magis Te, Illustrissime Dñe, laudis veræ & gloriæ stimulis, ad animi incitauit firmitatem, atque contra omnes inopinatos euentus egregiè circumsepsit: quo actum illum ita perficeres, atque in oculis Illustrissimi Archiepiscopi, voce, vultu, grauitate, dicendi maiestate, Pontificem exhiberes: vt ille non tam de Tua, quàm ipsius præsentis Pontificis manu, sacrum Pallium sumere videretur. Quod equidem cessit ita laudabiliter, vt Te ipsum etiam interea superâsse videreris, quando in Generalibus Warsouiæ Comitijs florentissimo Senatus Consessu, & Ordinum frequentiâ, disertè & co-

pioſé præfatus, de inſigni Beatiſsimi Patris in Illuſtriſ: Patruum Tuum affectu, de grauiſsimo S. Maieſtatis Regiæ in eo cohoneſtando iudicio, atque promeritis eiuſdem in Patriam, ſacrum illud Romanæ Sedis Donarium, ampliſsimum eius meritorum in Regnum & Eccleſiam teſtimonium, reddidiſti. Quis interea de Te ſenſus Ordinũ omnium? quæ iudicia? quæ ſpes, & expectatio Tuarũ virtutum? quando in luce Reipub. in auguſtiſsimo Regis & Senatus conſeſſu, tam glorioſé effulſiſſent. Credo ego Illuſtriſ: Patruum Tuum interea præ gaudio collachrymâſſe, quòd videret coràm gloriæ ſuæ hæredem, & in laboribus pro Repub adeundis, fidelem ſucceſſorem. Et iam Te Reipub. non tam cognationis & ſanguinis neceſsitudine (qui tamen nexus maximi ſunt) quàm induſtriæ Tuæ, & indolis Heroicæ dignitate commendabat.

Quò verò peritior & accommodatior publicis Regni muneribus ferẽdis eſſes, etiã Te officijs Archiepiſcopatus ſui exercitum

eſſe

esse volebat. Cācellariū fecit suū, vim ingenij & industriæ Tuæ hebescere nō est pass9: sed occupationib9 Ecclesiæ & Reip. in dies expoliuit: secretioribus ad Maiestatem Regiam consilijs, & legationibus expediendis admouit; ita vt nullam Tibi, neq; nocturnæ, neque diurnæ quietis partem, quin aliquid pro publico bono ageres, impertiri vellet. Iam meritis tantis, non paruos Tibi ad Sereniss: Regis fauores præstruxisse videbare. Addidit præterea pondus & autoritatem, cū sapientissimum Pontificis effatum, præclarissimè de Te, ob Legationem in Visitatione liminum Apostolicorum eximiè peractam, iudicantis: tùm grauissimum Illustrissimi Patrui Tui de Te iudicium, ob negotia Ecclesiæ suæ Archiepiscopalis prudenter, & feliciter, semper expedita.

Quæ res Sereniss: Sigismundum III. in Te ornando excitauit, vt Te, Illustrissime D. Præsidentem Cancellariæ, interea Illustriss: Lipski Cancellario, esse iuberet. Quod quidē officiū à Deo, per manus Sereniss: Tibi imposi-

positum, eâ fide, diligētiâ, solicitudine, egisti: vt nec labor, nec vigilantia, nec fidelitas, in eo munere dextrè, & grauiter obeundo, à Te requirerentur vnquam. Prima illa prudētiæ & Magnanimitais Tuę indicia fuerūt, ita in Aula recenti officio versari, sic actiones viuendi formare, vt primùm honore dignus esses, deinde existimarêre. Hoc est prudentem esse, ostendere in Sole, & in publico, quæ vmbra & otio intercipi, & impediri non possunt. Virtus illa Tua non potuit occultari: & tametsi liuor exsurgenti ad insignem gloriam famæ Tuæ opponi videbatur; non afferebat nihilominus tantùm opposítu suo detrimenti; quin Tua Illustriss: D. virtus, semper matura, & plane virilis, perrumperet obsistentia, inconsultæ inuidentiæ impedimenta. Hominem in vita perpetuò, quasi in castris stare oportet, cùm militia sit vita hominis, qui non pugnat, aut nō stat in procinctu ad pugnam, aut non viuit, vel malè viuit.

Antiperistasis illa, quæ conseruat elemēta ex-

ta, exercet, expolit, quamobrem à prome-
ritis hominum arceatur? Non ergo Te, Illu-
ſtriſsime Dñe, aliena inuidentia, a recto cur-
ſu deflexit vnquam, cùm Tu illibatâ laude,
omnia Reipub. negotia tractâſti. Inuidiam
virtute partam, gloriam non inuidiam eſſe,
ſapienter cenſuiſti.

Sed hæc in Aula, in Curia, cum liuore, & maleuolentia prudens colluctatio, Tibi Illuſtriſsime Dñe, non obfuit, ſed profuit, cùm eius impetitiones imbecillas, non aliter, quã virtuti & Sacræ Maieſtati fideliter inſeruiẽdo, vlciſci pulchrum eſſe ducebas.

Neque verò vt pacis artibus tantùm, & tolerantiæ commendatione floreres, ſtuduiſti; ſed etiam grauioribus bellorum periculis, pro Maieſtate, caput Tuum vt offerres, haud formidâſti. Bellum contra Moſchum tumultuantem, & in Prouincias, atque arces iuris noſtri, infeſtis ſignis influentem, à Sereniſsimo Rege Sigiſmundo III. indictum; ſecutus es vel ad illam expeditionem Maieſtatem Regiam, vt eidem eſſes, fidus & incorru-

ptus secũdis & aduersis rebus Comes. Quãdiu bellatum est, sustinenda erant omnia armorum & periculorum imminentium incõmoda, de vita inter casus, & fortunam ancipitem quotidie dimicandum. Quid, quòd etiam in Prussiam hostilibus armis perturbatam, sequi promptè Maiestatem Regiam nõ abnuisti: vt vel opposìtu laterum Tuorum, si quid sacro intenderetur discriminis Capiti auerteres.

Sed illud omnibus præconijs dignum, & admirandum est, quòd Tu Illustrissime Dñe, in tumultibus Aulicis & bellicis, vbi perraró possit aliquis præstare, quod dignum Principis auribus & autoritate videatur: Tu vnus & solus, in absentia Cancellarij vtriusque, nõ raró, responsa, expeditiones, publica negotia, causas Prouinciarum, ingenio, industriâ, fide, diligentiâ, res tam varias, tam distractas, & multiplices, sustinebas, expediebas: quas alius quisquam, non solùm comprehédere memorando: sed nec percensere numerando potuisset. Ex quo magna iudicij Tui

apud

apud Principem eluxit vis, & incredibilis animus, & non vnius viri vires, atque opes animi indicatæ: ſiquidem in Te Illuſtriſsime Dn̄e, hoc vnum perſæpe incumberet onus, cui ferendo ægrè duo ſufficiunt Magiſtratus Præuidit in Te eam ad Heroica quæque indolem ſequacem Sapientiſsimus & Victorioſiſsimus REX VLADISLAVS IV. atq; Te vt primum in Aula aſpexit, ita ſingulari quodam proſecutus affectu: & ſibi iam non vanus augur, ante ætatem vſibus ſuis, & patriæ commodis deſignabat. Præſertim cùm Tu, omnia in actionibus Tuis, ad eos retuliſſes fines, quos Eccleſiæ dignitas, Patriæ vtilitas, Principum autoritas, à Te iure ſuo flagitare viderentur,

Poſtquā verò, non ſolùm vniuerſæ Reipub. conſentientibus ſuffragijs, ſed etiam exterorum populorum votis, & ſtudijs, electus, & feliciſsimè inauguratus eſt REX; vix dum Regale ſua Maieſtas conſcendit ſolium Te Illuſtriſsime Dn̄e, in Secretarium Maiorem legit, vt ſuorum conſiliorum, & laborum, in

primo Regni aditu, non solùm Comes & socius, sed etiam testis & assectator fores. Deberi eam Tibi gratiam propter Patrui Tui præstantissima in ætatem & fortunam suam merita, Sapientissimus REX, sæpenumerò est fassus. Beneficam voluntatẽ Nepoti reddi oportere, quam sibi Patruus declarâsset. Tu verò cùm eo officio, nõ solum cõsilia intimiora, sed etiam vitam & salutẽ communem, etiam sacrum Maiestatis caput, Tuæ fidei creditum arbitratus, ita gnauiter & prudenter egisti; vt etiam Tuis incommodis, & periculis, securitatem S. R. M. redimeres, & præcaueres. Quis vnquam fidelius, & cautius egit, vt Sãcta esset Principi reuerẽtia? Secretum Silentij Sacrum; religiosa arcanorũ cautio, & custodia? Quis magis artem prudenter dicendi, & fideliter vbi res posceret, calluit tacendi? Proinde in arduis Regni, etiã totius Christianitatis negotijs, vsus Tuâ Illustrissime D. opera, Sereniss: REX, cuius fidẽ & dexteritatem multis modis, mirificè, habuisset antea exploratam. Namque cum ab

ipso

ipso statim ad Regnum aditu, S R. M. nihil antiquius & carius habuit, quàm vt Vetus hoc & tam latè patens, armorum ferale inter Christianos Principes odium, cōciliatis Regum & Principum animis sedaret; Te Illustrissime D. Sacra Maiestas Regia, tám Sanctæ suæ voluntatis, & salutaris desiderij testē, & interpretem, ad Sacram Cæsaream Maiestatem misit, qui scires & posses exulceratos Principum animos, priusquam acrior ad vltimum excidium, hostilis inualesceret flamma, iniuriarum vtrinque datarum & acceptarum Amnistia conciliare. Paruisti Sapiētissimo, in causa gloriosa & Christianitati vtilissima Regi: Cæsaream Maiestatem adijsti: Regis Serenissimi animum, pacis & concordiæ studiosissimum, declarasti: dolorem ex tam diuturna & penitus insita in visceribus Imperij perturbatione, nunciasti: armis, odijs, cruentationi, prædationibus, vrbium expugnationibus, nullum poni modum, facundissimè disseruisti. Quæri idcirco modū & remedium, tam insito malo oportere, con-

ſilia pacis redintegrandę admoueri. Regem Sereniſsimum hanc ſibi felicitatem à primo in Regnum aditu, conciliandorum Principum, depoſcere. Videre Sapientiſsimé S. R. Maieſtatem non omnia eſſe in armis, intelligere optimè, acriores eſſe ferarum morientium morſus: pleraque quæ furore & crudelitate exacerbantur, conſultiùs beneuolētia & caritate leniri. Satis vtrinque fuſum eſſe ſanguinis, tot vrbium cadauera, prouinciarum vaſtitates, populorum funeſta exilia, & interneciones, vires attritæ, Regna incolis exhauſta, fortunis exinanita, pacem & concordiam, quanto ſtudio poſcant, expoſuiſti. Inſedit, & impreſſa eſt vehementibus dicendi ſtimulis Cæſareæ Maieſtati, Tua Illuſtriſſime D. perſuaſio: iam prope itum eſt in Regis Sereniſsimi voluntatem, & Tuam ſentētiam prudentem. Iam Aquilæ caſtris cedere, cohortes Sacramento militari ſolui, armiſtitium fermé promulgari; ſed occultior quædam vis fati, pænas á nobis, & Imperio Chriſtiano depoſcentis; quæ ſapienter eſſēt cogitata &

tata & ordinata, vt ne feliciter perficerentur, & ne pax coalesceret: intercesśit. Tam funesti autem, & in dies maiores tumultus armorum, quàm sapiens & salutare fuisset Regis Serenisśimi consilium, quàm vtilis Imperio Christiano Tua persuasio, docent; quibus si paritum fuisset, iam pridem hoc malum, Tuâ fęlicitate & auspicijs Regis Serenisśimi sublatum videremus. Res ita cecidit, consilia pacis firmisśima valuissent, nisi vtrinq; grauior iniuriarum recordatio, quod optime cogitatum esset, disśipâsset. Sed Tu Illustrisśime D. rei laudabiliter, & prudentisśimè gestæ, amplisśimum à S. Cæsarea Maiestate ad S, R. M. testimonium accepisti Qui Te ita extulit, vt si Imperij Maiestas Sacrosancta, à perduellione imminuta pateretur; non cuiusquam alterius, quàm Tuis consilijs, in pace reuocanda, stari oportere, affirmaret religiosé. Reuertisti feliciter in Patriá, pacis, & tranquillitatis publicæ præstantisśimus orator.

Perfuncto designatâ Legatione, iterum necess-

necesſitas patria virtuti Tuæ propoſuit, quo tantam cum prudentia exerceret Magnanimitatem. Smolenſci nunciatur obſidio, hoſtem armis, & præſidijs exterorum inſtructiſsimum, deditionem vrgere, vim & machinas vrbi, & caſtro admouere Non paſſus eam nomini Polono inuri notam Rex fortiſsimus, mora non intercesſit vlla, quin properé, citato gradu, tametſi (vt temporis arcta ferebat necesſitas) non magno comitatu, ad còércēdam & caſtigandam hoſtis perfidiam abiret. Tu Illuſtriſsime D. ſecutus es feliciſsimum Bellatorem, vtriuſque fortunæ quam Deus daturus eſſet, particeps futurus. Eximium illud fuit Tuæ Magnanimitatis experimentum, in hoſtico ſolo, alieno tempore, hyeme ſummâ, inimico & tempeſtuoſo cælo, ad omnem àéris inclementiam, obdurari: ventis & imbribus obluctari: extra teli iactum non eſſe: flammantes ab hoſtibus, ſupernè immiſſos expectare globos, & in horas de vita & capite dimicare. Hæc tamen tam grauia, tam formidanda, hoſtis,

Cœli,

cæli, atque soli incommoda: vna Tua in Sereniſs: Regẽ fidelitas vicit: & perfècit, vt vitâ etiã & ſãguine, pro Sereniſs: litare velles. Atque illius belli fortunatos, & Regno glorioſos exitus, præuidit diuinitus, prudens illud Tuum Illuſtriſsime D, præſagiũ, quo, nomine Illuſtr. Capituli Crac: diſertâ & ornatâ oratione excipiens Sereniſs: Regẽ, ad capeſſendũ Regni Diadema aduentantem, honorificè es proſecutus. Præſenſiſti felicẽ futurã ſuam Maieſtatẽ, in expeditionib9, in prælijs, inoffenſum Sacrum caput: inter cõfertiſsimas hoſtium acies; vbiq; proſperitatẽ, victoriam, & nominis gloriã ſapientiſsimo, & religioſiſsimo Regi affuturã. Non vanum illud fuit augurium, quicquid Regi Victorioſiſsimo, in loco ſacro, à Deo, per os Tuum, pro Patria, pro Religione, fuit prẹfinitũ, ſolent enim plerumq; Principes negotiorum pro Patria & Regno intrepidè ſuſcipiendorum, diuinitus admoneri. Idcirco nunc frueris Illuſtriſsime D. Tuæ Candidiſsimæ in Sereniſsimum Regem voluntatis, fructu, ex tot & tantis victorijs ampliſsimo: habes votorum

D tuo-

Tuorum, & precationis optatiſsimum fru-ctum. Hoc enim præſens vidiſti in caſtris ad Smolenſcum, quod futurum voto ſolenni, cum Illuſtr: Crac: Capitulo precabare, Exploraſti Diuorum Cæleſtium, in tuendo Sacro Regis Capite ſolicitã cuſtodiam. Admiratus es ſtetiſſe pro nobis belli fortunam: contra hoſtem etiam de Cælo dimicatum: caſtra eorum armis, commeatu, milite, inſtructiſsima, inuſitatâ formidine & perturbatione compleri. Vidiſti extractos ſuis è cauernis, illos olim Gigantæo faſtu inflatos SEHINOS cum ſignis ſuis, ad pedes Sereniſs: Victoris abiectos, libertatẽ & vitam, lachrymis obortis, ſublatis in cælum manibus, flagitare. Exarmauit & perturbauit aliquando non leuiter, WLADISLAVM II. Venerabilis & pij Senis (vt Cromerus inquit) Iacobi Archiepiſcopi Gneſneñ: contra fratres & patriam armatum funeſta imprecatio: Tua verò Illuſtriſsime Dñe, & Illuſtris Capituli fauſta apprecatio, Sereniſsimo REGI, contra hoſtem eunti, animos, vim, & robur addidit, vt

verè

verè ex voto ſolenni, & Tuo, & Eccleſiæ Cathedralis, ex tunc Cæleſtibus excubijs, ſua Maieſtas cõmunita glorioſiſsimè militaret.

Cùm Smolenſci rebus pacatis, & tumultu compoſito, ac prouincijs adiacentibus receptis, Sereniſſ. Rex, in regnum Victor triumphans reuertiſſet; vbi aliquid reſpirandum eſſet: rurſum motus Suecorum in Pruſsiam, armis hoſtilibus vindicandam euocabant. Conteſtatus es, Tuam fidelem & eximiam ſemper in Sereniſſ. Regem voluntatem; vt etiam ad furorem illum hoſtilem ſedandum, Sacram R. M. ſequereris. Nihil erat ita durum & acerbum, nihil ita inſolitum, & arduum, quo non Te pro vſu, & officio S. R. M promptè, hilariter, officiosè impenderes.

Talibus idcirco perfunctum feliciter pro Patria, pro Sacra R. M. pro Eccleſia officijs, Te Vice Cancellarium Regni S. R. M. deſignauit. Tuæ fidei Illuſtriſſ. D. ſacras Patriæ leges, iudiciorum grauitatem, legum & iuris Patrij ſanctitatem permiſit, & credidit.

 Suſce-

Suſcepiſti non ſolùm dignitatis Tuæ, & virtutis iam exploratæ; ſed etiam Salutis communis cogitationem. Vidit in Te Illuſtriſſ. D. Reſpub. cùm munus illud obires feliciter, & reſponſa nomine Maieſtatis Sereniſſ. dares: non ſolùm dicendi venuſtatem ſed etiam reſpondendi, in tàm varijs, & multiplicibus cauſis, facilitatem. Quid erant aliud Tua iudicia, quā incorruptū ęquitatis Patrię Tribunal, quàm innocentiæ præſidium, & oppreſſorum perfugium? Nihil Tibi ſanctius, antiquiùs nihil fuit, quàm nè vis, nè iniuria impunè graſſarentur.

Relucebat in oculis Tuis vindex libertatis Iuſtitia, in fronte grauitas, in omnibus actionibus, æquitatis fideliſsima Cuſtos, legum autoritas. Quid in adeundo Te omnibus Comitas affabilis, obuia cuique voluntas: vt cùm omnibus alijs dignitate, & officio publico præemineres, facilitate vnus ex alijs viderere. Tàm excelſo idcirco in loco virtutes Tuæ Illuſtriſsime D. collocatæ, viam Tibi ad illuſtriora in Patriam, & S. R. M.

pro

promerita aperuerunt. Namque dum publicum Patriæ bonum, Tuis antefers commoditatibus, non solùm vniuersam Patriam, & nobilissimos ordines; sed etiam S. R. M. ita obligâsti, vt Tibi Illustrissime D. Cancellariatus superior, inter quadriennium deferretur, Signum Maius Regium, Regni sanctius, & intimius pignus.

Hic Tu patentissimum nactus campum, quo Tuæ laudabiliter excurrerent virtutes, præ alijs probitatem, beneuolentiam, Prudentiam, magnis & illustribus exemplis, tanquam in speculo expressisti. Probitatem, nè vllâ causâ, aut metu, aut gratiâ, ab officio deflecteres. Beneuolentiam, vt eadem Regi, & Regno velles, neq; vnius ab altero secerneres commoditates; Et sic inuidiosum illud Alexandri Magni, de Hephæstione & Parmenione, defugeres iudicium: quorum vnum Alexandri, alterum Regis, amicum esse dicebat. Prudentiam insuper, ita contestatus es, vt quæ benè Regi Sereniss. & Regno optares: hoc scienter, & gnauiter, exe-

qui velles & posses. Quid dicam de comitate & gratia, quibus ingenium & animum Principis, aucupari & tenere scires: atq; hunc ipsum ad publicum commodum, inflecteres, & ordinares. Eam ob causam, Regis sapientissimi gratiâ, prosperè, diu, & benè vsus es. Prosperè quidem, quando Suæ Maiestatis animum, in Te Illustrissime Dñe inclinatum, nõ causa vlla, nõ tempus, nõ locus in terris cælo proximus, immutauit. Diu verò, quod à teneris, tenerrimus in Te Maiestatis Sereniss: affect9 vsq; dùm reflorescere, ac indies renouari videtur. Bene autem quod Te tãti Regis gratia, & fortuna secũdis rebus ad voluntatẽ Tuã fluẽtibus, non extulit vnquã.

Quod profectò Diuinæ in Te ornando benignitatis fuit nõ leue documentũ; præsertim cùm Tu in munere Tuo, cum Patria tuẽda, potiorẽ sẽper duceres, Ecclesię & Religionis sanctę, tuendæ, & cõseruãdæ rationem.

Insigni Tuâ prudentiâ, sanctitas Religionis nuperrimè ita custodita, vt prouideres, & quâ posses ratione auerterres, nè supremos,

premos, & ſanctiſsimos Regni faſces, hactenus innocentiâ, & fide incorruptâ florentiſsimos, incautâ, & iniurioſâ perſuaſione, & blandâ Connubiali ſpecie, exotica, & irreligioſa religio temeraret. O factum laudabile, & omnibus præconijs, ad memoriam proferendum immortalem, prudenter & feliciter præcauere, nè Connubiali in Maieſtate fœdere; Eccleſiæ ſacroſanctæ, & Patriæ conuellerentur iura, & nè priuatæ paucorum res, conſilijs & legibus publicis officerent vnquam. Hæc ſunt Tuorum Illùſtriſſ. Dñe pro Rep laborum præclariſsima exempla, iſtis tanquam gradibus, ad magnum ſplendorem, & hominum prædicationem Tua prudentia, & Magnanimitas aſcendit. Nullum erat negotium publicum, quod non promptè adires, nulla expeditio, quam laudabiliter non conficeres, nulla Conſultatio, quam glorioſè non adiuuares, nulla Comitiorum moles, quam Tuis fideliter humeris non ſuſtineres; nulla denique Reipub. promouendæ occaſio in qua Te prudentia Tua

felici-

feliciter non perpoliret. Sed enim nec meæ tenuitatis eſt, nec ingenij, præſtantiſsimis Tuis Illuſtriſsime D. promeritis, quæ in omnium oculis & admiratione ſunt, quaſi lychnum, ſoli apponere: nec Tua Heroica magnitudo, quæ ex ſe ſibi glorioſè triumphos ordinauit, alicuius laudationis requirit modicitatem.

Non inficior quidem Tuæ Magnanimitatis eſſe, rectè factorum conſcientia, contentum eſſe, velle: at verò eorum, qui in Tua continentur tutela & Patrocinio, pietatis, & officij eſt, in commemorandis Tuis promeritis, quidquid ſpiritus & vocis habent, non occupare modò, ſed etiam ſi res poſcat, inſumere.

Non poſſem niſi ingrato præterire ſilentio, quæ Tua religio, & quàm Diuinus pro Eccleſia DEI ſemper fuiſſet Zelus. Præfecit Te DEVS Eccleſiæ primò Præmyſlieñ: Epiſcopum: Eccleſiæ illi, quæ & hoſtium excurſionibus, & Schiſmaticorum diſsidijs, non raro perturbatur, Tuæ fidei & religioni

popu-

populum illum permisit. Quid non susceptum est laboris, & vigilarum, vt Diœcesis illa, tanquam *Castrorum* acies efficeretur, ordinatissima? vt legibus vinciretur, quicquid intermissione diffluxit aliqua, & siquid in moribus, & vitæ consuetudine populi illius, sanctionibus sacris, oppositum insedisset, pastorali vigilantia deleretur. Interea Tu Illustriss. D. quæ leni medicina curari possunt, animi benignitate vteris: quæ seueriorem requirunt disciplinam, salutarem adhibes seueritatē. Si quid contumax & durum, & in publico perniciosum, anathemate, voce tonitrui cælestis magnifica, & Diuina obnunciatione, non ad conditionem, aut cognationem respiciens cuiusquam, iusto contra crimen inflammatus zelo, Ecclesia proscribis, & exturbas. Et quidem hæc sancta, & fructuosa animaduersio ad proximi salutem. Nam si absque intermissione, etiam somni & alimenti oblitus vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labore, quantisq; vigilijs, debet intendere, qui pascit oues Dei?

Tales profectò Pastores diuinitus populo dantur, non quærētes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendunt enim, curam, impendunt substantiam, impendunt seipsos. Vnde vnus illorum solicitè vitam animabus suæ fidei commissis deuouet. Et ego superimpendar pro animabus vestris.

O quàm felicissimus talis Pastor, cuius affectio tanta, quia *libentissimè*, solicitudo magna, quia *impendar* & *superimpendar* intentio recta, quia pro *animabus*.

Verùm vt eo reuertar, vnde cursu dictionis, defluxit oratio; quo commodius & facilius vniuersum illius Diœcesis clerum, præstantiorem Ecclesiæ recognosceres partem; Synodum indixisti. Conuocatis omnibus, quo pacto, aut qua in re Ecclesiæ illi, & Diœcesi subueniri posit perquiris; quæ sit ratio, quæ disciplina, quæ auctoritas aut vigilantia pastorum. Omnes Diœcesis illius diligentissimè perlustras partes, nè quid sit, quod à vocationis cuiusq; curriculo, præter modum, & ordinem deflectat. Erecti omni-

um

tum animi, non incerta persuasione, attentioris Te præsente, in Sua Diœcesi gubernationis, & securitatis, in Præsulea fidelitate, & prudentia quietioris. Tu verò quò certiores suæ redderentur expectationis, Ecclesiam illam Sacratarum sanctionibus legum, contra omnia discrimina obfirmas, & communis, constitutiones Synodales ordinari, & promulgari iubes, grauiter & pro officio Tuo sancte admones, electionis & vocationis suæ vt meminerint Sacerdotes. Scirent se esse Duces & signiferos belli spiritualis, quod cùm impietate vbiuis, illic maximè cum Schismate, alijsq; monstrosis Ecclesiæ hostibus asſidue geritur. Eos esse qui alimonia cælesti ad vitam perennem proficiente populum, nimirùm verbo prædicationis, exēplo honestæ conuersationis pascunt, & reficiunt. Viderint itaq; vt sic instituant verbo prædicationis, vt ne destruant exemplo prauæ operationis.

Subsidia verò temporanea, & Sanctæ proborum hominum dotationes, quibus Ec-

cleſiæ ſuſtinentur miniſteria, vt nè temporis obliterentur diuturnitate: Faſtos cuiq; Beneficiato imperas priuatos, in quos ſacrificiorum, & obligationum ſuarum, ac piarum referat & deſcribat memoriam Fundationum. Tua Vigilantia, & tam ſolicita Paſtorali cura, plurimùm apud DEVM promereris, pias Fundatorum obligas Tibi æternùm animas: quorum eximiam in Eccleſiam voluntatem, atque dotationes, cum defendis, renouas: & à temporis damnoſa eximis obliuione. Quid dicam? quàm ſolicitè ad Eccleſias Parochiales, inſtitutionem præcipis iuuentutis, vt ex hac nouella plantatione, ex qua pendēt vlteriores vitæ humanæ progreſsiones, Eccleſiæ ritus, cultus, Pſalmodia alijque vſus, ad Eccleſiæ neceſsitatem pertinentes, à teneris & rudibus annis faciliùs imprimantur? Porrò ſanctam Græcorum hominum, ad Eccleſiam, à defectione acceſſionem: quo ſtudio? qua pietate promoues! quantùm illos à temeritate ad obedientiam, ab erroribus ad veritatem, poſtliminio redeuntes,

untes, omnibus tuendos; & fouendos commendas? & quos benignitas cæleſtis ad viam reduxit veritatis, iniuria & vis aliena; vt nè à propoſito perturbet, & auellat: ſapienter caues?

Hic eſt profectò hic, Spiritualis imperij finis, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum conſultum velle. Iſtius animi, & pietatis in populos ſibi ſubiectos fuit, Diuinus ille gentium Doctor, & cæleſtis tuba Paulus S. qui Anathema etiam cuperet pro fratribus ſuis eſſe. O ingentem charitatem, & maximum Spiritus feruorem, qui tanto ſtudio, ſalutis alienæ obtinendæ fertur, vt etiam tanquam impius aliquid pati non recuſet, modo ipſi ſalutem conſequantur.

Tàm inflammatum in Te Illuſtriſsime Dñe pro Eccleſia DEI ornanda ſtudium, & Zelum ſanctiſsimum in religione vera tuēda & propaganda Sanctiſsimus VRBANVS VIII. Pontifex Max. Breui Apoſtolico, recens ad Te dato, ita commendat & excitat, vt animum Heroicum, contra quæuis infractum

 obſi-

obſiſtentia, Diuino oraculo ad maiora inuitet pro Eccleſia DEI ſubeunda. Habes idcirco Illuſtriſsime Dñe, iſtius Tuæ in Eccleſiam pietatis teſtimonium Ampliſsimum: non alia quam cæleſti voce per Vicarium Chriſti ad Te proditum: cui ſanctæ olim promiſſum eſt quicquid approbaret in terris, etiam in cælo firmiſsimè approbandum. Habes inquam in Tuis tam illuſtribus & memorandis pro Eccleſia Dei laboribus, luculentiſsima Pontificum Romanorum PAVLI V. & VRBANI VIII. teſtimonia. Non poterant glorioſius vſpiam proferri, ſuſcepti, pro religione, & cultu DEI propagando labores, quàm ſi ad eos dimanaſſent, quibus ſumma & ſuprema Reipub. Chriſtianæ permiſſa poteſtas.

Iſtis honorum & officiorum laborioſiſsimis gradibus non ambitione vlla, ſed Diuina ordinatione, ad Epiſcopatum Cracouieñ. aſcendis. Equidem ſublimis iſta Tua gloria longi laboris opus eſt: ſed nulla poteſt eſſe diuturna gloria, quam labor ſtrenuus, & indefeſſus

defessus primùm non antecesit. Quis enim in magnis contendit Olimpijs, dulcis sine puluere palmæ? Sic Te Illustrisime Dñe, longa Reipub, & Ecclesiæ curricula exercuerunt, vt redderent huic Ecclesiæ meritissimum. Iure igitur cælestis benignitas Te huic Diœcesi & Cathedræ, in Vrbe Regni Principe præfici voluit, in qua non semel vacante Sede, à morte Illustriss. SZYSKOVII & LIPSCII summa prudentiæ, & iudicij laude præfuisti. Sed neque præfuisti: ad Tuas rationes, quàm potiꝰ ad omniũ cõmoditates: ita profuisti, vt non tàm præesse, quam prodesse magis velles. Non enim in quenquã Tibi datam esse aliter potestatem, nisi vt ei prodesses credidisti. Solicitè pro grege Dñi interea Tuę fidei permisso egisti: Vt nè iura Ecclesiæ, audacià cuiusquam perturbarentur, vt Clerus officij sui regionibus honestè contineretur: vt nè vestitu, cultu, incessu, capillo profano, authoritas ordinis contaminaretur: vt omnium statuum, & conditionum Ecclesiæ, mores, ritus, facultates, præeminentiæ, Cancellis suis, quos transilire non liceret cuiquam, defini-

definirentur. Atque hæc omnia, ſummâ æquabilitatis, & manſuetudinis laude.

Quapropter meritiſsimo iure nunc Epiſcopus, Eccleſiæ iſti Diuina ordinatione deſignatus, honorifico & ſplendido venis comitatu; cuius olim leges, ſancita, immunitates, laudabiliter defendiſti, & ordinaſti: Magnus hic ſplendor Tuus, magna authoritas, imperium ſublime. Etenim quantùm ſpiritus carni, cæleſtia anteſtant terrenis, tantùm Epiſcoporum imperium, quolibet Politico, etiam ſupremo antecellit. Cum Chriſto imperium geris, cum Chriſto præſtantiſsimam iſtam, gubernas, & moderaris Diœceſim: ille Te in partem laborum ſuorum, pro Eccleſia & populo ſuo adeundorum vocauit: vt meritorum ſuorum Tibi præcipuam largiretur partem.

Merito igitur hic cultiſsimus omnium Ordinum ſplendor, vt Senatorem Magnum, & frequentiſsimus clerus, vt Diuinum Hierarcham, votis, plauſu, gratulatione, & comitatu, excipit honorifico: quod per Tuam authoritatem & prudentiam eximiam, di-

digni-

gnitatem, & immunitatem suam, & retinendam sperat, & magis illustrandam. Primus eorum Ordinum qui Dei participes sunt, Diuinus Pontificum est ordo, idemque postremus. Primus quod ex illo reliqui omnes Ecclesiastici ordines promanãt. Postremus, quod in eo omnis Ecclesiæ, & Hierarchicæ rei, perficitur splendor.

Cum itaque Illustrisime Domine inter florentisimum istum, & amænisimum Ordinum omnium cętum ad Episcopalem Cathedram progrederis, Academia Crac: Maximis Tuis semper obligata fauoribus, promptè, submissè, hilariter Tibi occurrit: atque omnibus feliciter aduentantem prosequitur lætitijs. Nos Tuæ potestati, & subsellijs, & lex Ecclesiæ vt Sacerdotes, Episcopo: & ius Regni vt Professores Cancellario & spes, Tuæ visitatæ in nos Beneuolentiæ, vt Cliẽtes Patrono, subijcit ac deuouet. Intelligit Vniuersitas nostra Tuæ Sapientiæ, fidei, potestati atq; tutellæ, non modo templa, altaria, sacram religionem, salutem omnium, creditam & commissam: sed etiam litera-

rum suarum integritatem, & prærogatiuas. Quæcunque legibus Regni apud nos sancita sunt, quæcunq; vsu, & consuetudine bona & diuturna firmata sunt, latent in præsidio Tuo Amplissimo. Eam ob causam spem in Tuo benignissimo fauore concipimus, literarum incrementa sub Tuo felicissimo auspicio propaganda. Nulla est res, tàm difficilis, quam consilio regere, integritate tueri, virtute conficere non possis. Gratulabitur sibi Academia, à Tua Sacra Purpura, non solùm lucem, sed vitam & sanguinem iterum accepisse.

Redibunt tecum & illucescent iterum nobis, beneficentissima Radiuilorum, Macieiowiorum, Tyliciorum, Zadźicorũ sydera. Per Te nobis restitutum iri speramꝰ, quicquid talium fatis Episcoporũ subductũ dolebamus. Nunquam nobis Vestra Domus Illustrissima non benignissima affulsit, à primo Illustrissimo Archiepisc. Gnesneñ. qui cum esset Princeps Heroicis florentissimus virtutibus: tamen mediocritatem nostram, non fastidiuit vnquam: & disertissimus

omnium, eruditionem Academicam, non indignam sua censuit, & tuitione, & liberalitate.

Infixum est perpetua apud nos, & conditum memoria, quantùm à Te Illustrissime D. semper præsidij & ornamenti, in qualibet occasione & fortuna haberemus.

Nunquam abolendum ex nobis illud, temporis vlla diuturnitate, quantùm ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Andreæ GEMBICKI Episcopo Luceorień. acceperimus. Quid enim Antistes iste prudentissimus, non sustinuit, vt nè nos pateremur?

Perillustris & Reuerendissimus Ioannes GEMBICKI Secretarius Maior Regni, Decanus Cracouień. Præpositus Miechouień. quàm in nos semper & literas nostras animo inclinato & propenso? Insuper in omnibus vobis quasi hæreditarium literis nostris præsidium, tot annis non dubio euentu habemus.

Ingredere Benedicte Domini, feliciter, ad istam Amplitudinis, & honoris Tui sedem: vnde & Ecclesiam, & Rempublicam, ornes

ornes & exhilares. Deus noſter, qui regendorum in terris populorum Tecum partitus eſt, poteſtatem, ille Te cæleſtibus excubijs, ſemper circumſeptum, & munitum eſſe volet. Cui nos tanquam Supremo omnium ſoſpitatori, votis noſtris ſupplicamus, vt Tua vita, virtute, & beneficentia, quàm diutiſsimè fruamur.

D I X I.